

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
SISTENS  
BRVNONIANI SYSTEMATIS  
CRITIGEN

---

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
**CAROLO AVGVSTO**  
DVCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THV-  
RINGIAE REL.  
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRO GRADV DOCTORI<sup>S</sup>  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS IVRIBVS ET  
PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS.  
A. D. XXI. NOVEMBRI. CIOCCXCV.  
ERUDITORVM EXAMINI OBTVLIT  
AVCTOR  
**IOANNES FRIDERICVS LATROBE**  
LONDINENSIS.

*M. V.  
123.*

---

IENAE,  
TYPIS GOEFFERTIL.

Med. V, 123

<sup>2</sup>Be

V, 123

1372 452 OA

---

## PROLEGOMENA.

Contemplantes nos postremos , quos viuimus, viginti annos, viamque qua literae quatuor lustris ulterius progressae sunt, iusta capit admiratio velutique stupor quidam obrepit animum. Vix unum relictum est doctrinae genus, a maximis diuersissimisque mutationibus et opinionum commentis liberum. Vetera sunt paullo licentius emendata, mutata, destructa, hinc fines prolati, illinc coerciti; quae sparsa erant, collecta, collecta iterum varie disposita, et ad philosophicas rationes redacta; quae quam diligentissime exstructa videbantur, diruta, nouisque formis et vario successu restaurata sunt; pauca superfiunt integra

et intemerata, ex his quae perexigua sunt, minima forsan pars ad sequentem perueniet aetatem. Mirantur mutationem rerum viui, mirabuntur et obstupescerunt posteri, nescii, quae fuerit tantae transfigurationis ratio.

Physica singulaeque eius partes prae ceteris hac usae sunt fortuna; cuius caussam non est, quod mireris, nec ars medendi et omnes eius partes huius commutationis expertes fuerunt. Novae opiniones, theoriae etc. adeo festinanter se inuicem de loco, quem iure suo occupasse videbantur, demoverunt, ut non, nisi cum maxima contentione hanc artem, concitato gradu se proripientem, sedulus naturae scrutator sequi posset. Et quamuis hoc bellum omnium contra omnes maximam attulisse utilitatem, multas easque vanas subuertisse veterum et recentiorum opiniones, veras introduxisse ac stabiliisse, non negandum sit; tamen iis, qui huic doctrinae operam dant, graue inde ortum est incommodum et onus, ut, si velint dicta, scripta, confutata, nouata, instaurata, rite perspicere, omnis fere vita in perlustranda historia scientiae consumenda videatur. Cuius historiae cognitio in empirica doctrina, qualis est ars medendi, nequaquam negligenda est, quia sae-

saepissime tum demum noui inuenti honorem pretium et utilitatem recte possumus aestimare, quum accurate nouimus, qua ratione quaque via eo peruentum sit. Quod si neglexeris, e compendiis, ex ephemeridibus literariis et recensionibus, ut dicunt, ediscendum tibi erit, quidquid noui eruditii viri inueniant, et ex ignoti cuiusdam, saepe anonymi, viri iudicio vel acceptandum, vel reiiciendum erit. Quod si quis in recte aestimando quoquis inuento propria usus est diligentia atque exploratione, et illud solum acceptandum et probandum est, quod vel tuis oculis, vel aliis praecepsis iam probatis comprehendisque congruere et e rerum natura, tanquam fonte purissimo, manare, persuasum habes, multo magis *totius* doctrinae systema propriae submittendum erit inuestigationi, ne quis errori ab vana ambitione locus sit. Si quidem perpauci accedunt ad confutandum vel confirmandum id, quod noue dictum est, plurimi principiis a quoquis acceptandis segniter ac negligenter nituntur, immo vero vel vberius explicando noua placita iudicibus impense efferunt, vel aliorum ope systematum, firmi fundamenti expertum, subuertere ea conantur. Ipsi vero doctrinae mendicae nullum inde accrescit lucrum. Novum

scilicet habemus librum, perlegendum histo-  
riae artis causa, praetereaque nihil.

Ad summos in medicina capeffendos ho-  
nores dissertatione opus est. E tribus vel qua-  
tuor libris, ordine verbisque mutatis, novum  
confarcinare, non sane ardua res est, sed  
notis iam et ab aliis congestis nouam adferre  
lucem, vt doctrina ipsa aliquem exinde percipi-  
at fructum, maiorem, quam plerique pu-  
tant, habere difficultatem, et tironis superare  
veres mihi videtur. Practicam aliquam medi-  
cinae partem, non, nisi expertioris viri ope-  
adiutus, tractare potest. Verum de systestate  
quodam veteri vel nouo et vniuersa eius ratio-  
ne bene apteque differere potest, quicunque in  
cogitando et judicando logicas sequi leges di-  
dicit, nec proprio iudicio destitutus est. Et  
quidem, vt verum fatear, talia argumenta  
prae caeteris dissertationibus inauguralibus  
apta mihi videntur, quia non parua inde per-  
cipienda est utilitas et vniuersae doctrinae, et  
scriptori ipfi, qui totum doctrinarum, qui-  
bus operam dedit, campum perlustrare, et  
vel noua addiscere, vel vetera emendare co-  
gitur, omninoque strictis seuerisque logices  
obsequi legibus. — His causis rationibusque  
commotus, aduersus BRVNONIS *elementa Me-  
ticinae*

dicinae, quaedam in medium proferre ausus  
sum, in quorum anglicam versionem \*) eam-

A 3

que

\*) *The Elements of Medicine or a Translation of the Elementa Medicinae Brunonis, with large notes, illustrations and comments by the author of the original work. In two Volumes London 1783.* Vol. I. 508. p. Vol. II. 346. p. 8vo. — Vtrum post hanc editionem operis Brunoniani recentior sive anglica, sive latina existet, quod erat Auctoris consilium, (vid. Not. g. ad §. 1374) nec ne, mihi quidem ignotum est, recentior tamen est ea, quam secutus est MOSCATI, vt ex mutationibus, quae in hac anglica leguntur, adparet; et, cum WEIKARDVS in versione et opere, cui titulus est, *Entwurf einer einfa- cheyen Arzneikunst etc.* MOSCATYM ducem et magistrum secutus est, hanc anglicam versionem in Germania nouissimam esse et rarissimam puto. Haec vero dissertationis meae fundamentum est, eiusque paragraphi citantur, ita tamen, vt lati- nam editionem versionemque germanicam hinc inde conferendam duxerim. Restant duo libri — ROBERT IGES *Enquiry into the state of medicine on the principles of the inductive philosophy, Edinburgh 1781.* 8vo atque Auctoris ipsius — *Obserua- tions on the several erroneous Systems of Physic* — qui saepe citantur. Quorum vero perlegendorum copia mihi non data fuit. Cum tamen anglica versio illustrationum copia quam maxime abun- dat,

que a latina et germanica editione paullo discrepantem ante aliquot tempus incidi. Huius libri tum nouitas, tum magnus plausus, quem a multis tuit, dignum eum faciunt, qui maiore cura ac diligentia legatur, ut, vtra in parte sit veritas, rite aestimare ac iudicare liceat. Totum librum minimasque eius partes percensere longius mihi, quam utilius videbatur. Per illustratio itaque et recensitis fundamentis, singula quaedam afferam loca, quae mihi in perlegendo plurimum facere videbantur ad firmandas et illustrandas dubitationes meas qualescunque. Quod facturus omnia studebo remouere, quae et ipsa ab hypothesi quadam seu conjectura pendent, siisque tantum utar, quae a quoquis eruditio pro veris et compertis habentur. In primis vero BRVNONEM suis ipsius placitis aggrediar, et ex iis, quae ystū obseruata sunt, ea tantum eligam, quae vel ipse expertus noui, vel historica commotus fide

dat, eaque pro toto habenda est, quod simpliciter fundamento, facile iisdem carere possumus. Quodsi in hoc uno libro totum systema secundum logicas leges extruxit Auctor, nihil copiosis opus est argumentis et rationibus. Sin minus, aliorum scriptorum consensu nihil efficiatur, nisi ut et ipsa falsa et reiicienda videari possint.

fide\*), pro veris habenda esse persuasum habeo. Ceterum MOSCATI secutus consilium \*\*); librum diligenter et attente perlegi et relegi, et neutri parti addictus, libere dicam, quae sentio. Quamuis vero HORATII violauerim legem —

*Nonum prematur in annum*

(quinque enim annis abhinc arti medicae operam dare incepi) attamen non sine diligentia et studio hoc opusculum conscripsi. Ceterum cum linguae anglicae, utpote vernaculae, sat sum peritus, non paucos evitaui errores, in quos legentes induxit latinus BRVNONIS ferme, obscurus, inordinatus et turbidus \*\*\*).

BRVNO

\* ) Omnem historicam fidem nugas esse et ineptias, vt statuit auctor (§. 580 et 598. Not. r. etc. etc.) equidem dicere non ausim: alioquin et ipsum eius opus pro nihilo habendum esset.

\*\*) Librum — neque perfunctorie legere, neque per diariorum compendia cognoscere, sed attente admodum considerare, non infrequenter etiam sedulo oportet meditari vid. Edit. MOSCATI praef. p. XI.

\*\*\*) Exemplo sit initium paragraphi 96.

*In medendi consilio sola materiae morbifical ratio habenda est, vt tempus, quo exeat corpore, detur.*

WEIKAR.

BRVNO tamen ipse vehementer sermonis sui puritate superbit, et in prooemio ad anglicam versionem dicit, se operis sui versione partim iis inferuire voluisse, qui *purum latinum sermonem* \*) non satis intelligerent. Boni dii seruent tale tamque latinum caput. Neque perdant aequa doctum interpretem WEIKARDVM, qui, quae pugnae Cannenfis sit explicatio, non curat!

WEIKARDVS hunc locum ita vertit

*Bei dem Rathschlage über Heilung, ist allein auf den krankhaften Stoff Rücksicht zu nehmen, damit man ihm Zeit gebe, aus dem Körper zu gehen.*

Et in Dissertatione quadam nuper hic edita

*(Diff. inaug. med. de virtutibus Opii medicinalibus secundum Brunonis systema dubiis et male fundatis, Auctore Ulric. Wilh. Blaese, Curono) idem elicetur sensus, et demonstrare conatur auctor, BRVNONIEM sibi ipsi hoc loco contradicere. Verum ex iplius BRVNONIS versione anglica appareat, eum sibi non contradixisse, sed perplexo sermone sensum obscurasse.*

*In the indication of Cure, the only regard to be had to morbid matter, is to allow time for its passing out of the body.*

\*) For those, who do not readily enter into a thought conveyed in pure Latin, vid. Pref. to the Translation, p. XVIII,

**A**ntequam de iis quae dubia, manca, lacera,  
nec satis definita in systemate Brunoniano exi-  
stimanda sunt, aperte profitear, necessarium  
mihi videtur, in ipso libelli limite breuem to-  
tius systematis praemittere descriptionem, ita  
tamen, ut in recensendo breuitati quam maxi-  
me studeam.

*Incitabilitas, Incitamentum, Incitatio* \*),  
sunt prima fundamenta, quibus nititur omne  
BRVNONIS sistema.

I. *Incitabilitate* homines et reliquae animantes  
a se ipsis, mortuis, vel alia quauis inanimi  
materia differunt. (§. 10. 14.) Haec omnium  
maxime

\* ) *Excitability, Exciting Powers, Stimuli, et Excitement,*  
v. Anglo. Verf. quam

maxime necessaria est ad sustinendam , fo-  
uendam continuandamque vitam \*). Ipsa ve-  
ro vita et omnia eius phaenomena , quatenus  
inde pendere vel profecta esse censentur, pro-  
ducuntur :

### II. *Incitamento s. potestatibus incitantibus, quae sunt:*

1) *Ipsius corporis functiones: Contractio mu-  
scularis, sensus, cerebri in cogitando et affe-  
ctus ciendo vis (§. 10. 12.).*

2) *Res externae: Calor, victus, sanguis, hinc  
segregati humores, et aer — nec non vene-  
na et contagiones (§. 11.).*

Hae potestates omnes , quia vis agendi quae-  
dam iis inesse videtur , *stimulatrices* appellandae  
sunt (§. 17.). Diuiduntur vero in *stimulos com-  
munes et locales* \*\*).

### III.

\*) Nam sine hac *potestates incitantes* incitare non possunt, ex-  
ego nulla existit *incitatio* §. 26.

\*\*) Haec diuisio additamentum est anglicae versionis. lati-  
nis his , quae sequuntur , verbis expressum. Not. i.

*Stimuli sunt vel communes, vel locales. Stimuli communes  
sunt potestates incitantes, ita in incitabilitatem agentes, ut  
incitationis toto corpore semper aliquid efficiant, communes,  
quo commodius a localibus internefcantur, appellandi. La-  
cales*

**III.** *Incitatio* \*) est effectus potestatum incitantium, in incitabilitatem agentium (§. 16.).

Incitabilitatis *vis*, sive *copia*, in aliis animalibus, et in iisdem alias alia est, (i. e. angl. *the quantity or energy*, is different in different animals, and in the same animal at different times, §. 18.), non vero in alia sedis parte (sedes eius vero est *materia neruosa medullaris et firmum musculare*) alia est (§. 48.) \*\*) nec ex partibus constat, sed una toto corpore et indiuisa proprietas (§. 322. et alibi): singulae tamen eiusdem corporis partes maiore eius quantitate praeditae sunt, quam ceterae (§. 49. k.).

*Potestates incitantes* vi quidem differunt (§. 19.) sed modus agendi idem semper est (§. 15. 15. Not. g. 20. angl. vers. 53.) et omnia, quamvis varia, vitae phaenomena, quae, agendo in incitabilitatem, producunt, vario tantum earum gradu

*cales stimuli in partem tantum, cui admoentur, agunt,*  
nec, nisi parto iam illic affectu, reliquum corpus, ac jaepo  
ne sic quidem, adjiciunt.

\*) Quoties hoc verbo utar, hanc unam eius significationem agnosco. Quod ut annotetur, quam fuerit necessarium, sequentibus apparet.

\*\*) Haec §. 47. est in latina editione. Iterum moneo, mo paragraphos angl versionis citare, verbis tamen, ipsius Auctoris latinis, quoties fieri potest, uti, ne qua in re Baynoni vim vel iniuriam intulisse perhibear.

*gradu* nituntur (§. 315. 316. 317.), ab hoc et ab incitabilitatis statu pendet gradus *Incitationis*.

Incitabilitas *augeri* tantum et *diminui* potest, nullique alii mutationi in ea locus est. Gradus vero auctionis vel diminutionis contraria proportione coniunctus est cum gradu potestatis incitantis, ut sequens Auctoris demonstrat tabula (§. 39. Not. e).

### *Potestates incitantes.*

0	10	20	30	40	50	60	70	80
				Incitabilitas				
30	70	60	50	40	30	20	10	0 *

Haec

\*) Majoris evidentiae causa partem citatae notae adscribam.

*At the commencement of life the sum total assigned is understood to be 80, because no part, as yet, is wasted by the action of stimuli. Next it is wasted in proportion as these are applied from the beginning to the End of the scale. Its wasting is therefore owing to action and operation, but its accumulation to the reverse, the want of the action or operation of the exciting powers, as is expressed by the numbers placed above those first mentioned. Thus one degree of exciting power applied takes off one degree of excitability, and every subsequent degree impairs the excitability in a proportion exactly equal to its degree of force. Thus, a degree of stimulant or exciting power equal to ten reduces*

Haec scala totum vitae quasi campum comprehendit, et cum vita omniaquae eius phaenomena siue status, in una consistunt incitatione (§. 13. ad 16 et 22. 23.), id est, in effectu potestatum incitantium in excitabilitatem agentium, omnis quoque siue secunda, siue aduersa valetudo hac nitatur scala necesse est.

Mediocris stimulus secundam valetudinem, minor et minimus morbos in debilitate positos (§. 23.) maior nimiae incitationis morbos efficit. (§. 23.). Quod si vero stimulus certos fines supergreditur, rursus debilitas efficitur, deficiente incitatione (§. 28. 35.)

Duo inde ponit BRVNO debilitatis genera quorum altera est.

1) *Directa debilitas*, quae stimuli defectu nascitur; (§. 45.) altera autem.

reduces the Excitability to 70; 20 to 60; 30 to 50; 40 to 40; 50 to 30; 60 to 20; 70 to 10; 80 to 0. And on the contrary the subtraction of stimulant power allows the excitability to accumulate. Thus, when the Excitement (Potestas incitans) is ad 79, constituting only one degree of life, take off one degree of exciting power, and two degrees of excitability will arise. As eighty degrees of exciting power leave no excitability, so 70 degrees of exciting power leaves 10; 60, 20; 50, 30; 40, 40; 30, 50; 20, 60; 10, 70; 0, 80.

2) *Indirecta debilitas*, exhausta incitabilitate nimio quidem stimulo (§. 34.).

Duas quoque constituit morborum formas,  
hisque nituntur

1) *Morbi sthenici*, immodica incitatione noti,

2) *Morbi asthenici*, quos deficiens creat inci-  
tatio (§. 66. 148. 149. alibi \*)).

Utrique morborum formae praedispositio  
(*opportunitas*) praedit, (§. 6. 66. cui in morbis loca  
libus locus non est (§. 5. 6. 83.). Hinc sequens  
efficitur scala (§. 82. Not. b. conf. §. 120. Not. 9.).

	<i>Directa debilitas</i>	<i>secunda</i>	<i>Morb. asth.</i>	<i>Praed. asth.</i>	<i>valeudo.</i>	<i>Praed. sth.</i>	<i>Morb. sth.</i>	<i>Indir. Debil.</i> **).
0	2 5				40		5 5	7 0 80

In 0° et 80° Vitae est extinctio, deficiente  
incitatione. Et quidem in 0 deficiente stimulo,  
in 80 exhausta incitabilitate nimio stimulo. Inter  
haec duo puncta omnis vitae hominis status  
quaes-

\*) Verba *phlogisticus* et *antiphlogisticus*, in anglica versione  
reiecit auctor, tanquam aliena idque iure suo.

\*\*) Quidquid in hac scala non poterat exprimi, id hic adno-  
tandum est. morbis nempe asthenicis, quia omnes debili-  
tate et incitationis defectu producuntur, in indirecta  
quoque debilitate locum esse, vti satis superque apparebit,  
vbi ad causas morborum peruentum erit.

quaerendus et inueniendus est, qui, quantumuis varius, semper tamen vna nititur incitatione, et ex huius gradu est aestimandus. (§. 82.).

Omnis morbosī status *periculum* pendet vel a loci maxime laborantis vtilitate, vel a vehementia stimuli nocivii, qui vel breuiore, vel longiore tempore incitabilitatem extinguere minatur (§. 29. 86.).

Omnis morbi medendi ratio aequē simplex est, ac omnium morborum ortus. Simulac scimus, vtrum sthenici sint an asthenici, medendi ratio ipsa innotescit, et remediorum vis ad reponendum eum incitationis gradum (§. 88.) quā bonae valetudini conuenit, ex morbi gradu definienda est. Unius incitationis ratio habenda est, minime vero singulorum solidorum simplium vel fluidorum status. Hic enim ab illa pendet, et cum ea in sanum redit statum (§. 62.).

*Utraque diathesis* (sthenica et asthenica) e potestatibus incitantibus nascitur, genere iisdem, et gradu modo variis (§. 89; angl. vers.) inde

*Morbi sthenici potestatibus* curantur debiliorē stimulo, quam qui secundae valetudini conuenit, incitantibus, quae potestates, breuitatis

*causa, debilitantia seu antisthenica dicuntur (§. 90. vers. angl.).*

*Asthenicae diathesis remedia sunt potestates validius, quam ut optimae valetudini congruant, incitantes, quae et stimulantia seu sthenica nominantur (§. 91.).*

*In indirectae debilitatis curatione primum stimulus non multo minor eo, qui morbum produxit, adhibendus est, deinde minor minorque, donec morbus soluatur, addendus (§. 103.).*

*In directa debilitate contraria est adhibenda ratio, a minimo scilicet stimulo incipiendum, deinde ad maiorem ascendendum, donec vitiosa incitabilitatis abundantia paulatim deteratur (§. 107.).*

*Operae pretium erit, breuem hic tabulam addere praecipuarum potestatum, quae vtramque morborum formam producunt, et vicissim curationi inferuiunt (§. 307.).*

*Sthenicam diathesin      Asthenicam diathesin*

*producunt.*

Nimius calor (§. 112.).    Immodicus aestus (§. 115.), frigus, (§. 117.).  
Tempe-

*Sthen. Diath.*

Ex victus partibus so-  
lus cibus stimulare ni-  
mis periclitans caro est,  
et ex hac parata mate-  
ria, largius assumta (§.  
124.).

Condimenta (§. 125.).

Potio spirituosa vel  
vinosa (§. 126.).

Diffusibiles stimuli  
(quorum effectus minus  
diuturnus est), (§. 126.  
o.) quales sunt, moschus,  
dein alkali volatile, su-  
perior hoc aether, sum-  
mus vero stimulus opi-  
um \*) est (§. 126. π.).

Chylus et sanguis abun-  
dans (§. 131.).

*Asthen. Diath.*

Temperatura humida,  
(§. 125.).

Omnis cibus e plan-  
tarum genere sumptus;  
falsa nimis et durata  
caro (§. 128.).

Immoderatus vſus cibi,  
cui naturalis stimulans  
vis (*proper material*)  
adhuc ineſt (§. 128. τ.)

per indirectam debili-  
tatem; eodem modo *po-  
tio nimis valida* (§. 130.)

Immodicus diffusibi-  
lium stimulorum vſus  
(§. 130. u. u. φ.).

Penuria sanguinis. (§.  
134.) quae maxima

B 2

mor-

\*) In lat. edit. aetheri maiorem, quam opio tribuit stimu-  
lum. Longiori vero vſu seductus opio sumptum attri-  
butus

*Sthen. Diath.*      *Asthen. Diath.*

morborum asthenico-  
rum causa est.

Secreta a sanguine flui-  
da, vascula nimis di-  
stendentia (§. 136.).

Secreta fluida vascula  
haud sufficienter disten-  
dentia (§. 137. inde 137.  
Δ.) vomitio, purga-  
tio, et quaenis, alia  
euacuatio, imodica ve-  
nus.

Variae corporis motio-  
nes (§. 137. Γ.).

Nimiae vel nimis le-  
ues motiones (§. 137.  
Δ.).

Cogitationis conten-  
tio (§. 138.).

Nimia et immodica  
cogitatio, quae indire-  
ctam parit debilitatem  
(§. 139.), vel vacuus  
mentis status, qui di-  
rectam parit. Adfe-  
ctuum nimia vehemen-  
tia.

Sensus

buit gradum vid. 501. vers. angl. Opium itaque praeci-  
puum asthenicorum est remedium morborum, et auctori  
in deliciis est.

*Sthen. Diath.*

*Sensus (Exercise of the Senses) (§. 143.).*

Aer iusto purior (§. 145.) (vt credibile est).

Contagia et venena, siquidem, tanquam stimuli communes, in incitabilitatem agunt, quod credibile non videtur (§. 146. E. Z.).

*Asthen. Diath.*

*Sensus nimii (§. 144.)*

Aer impurus (§. 146.).

Eadem.

Haec generalia et propria BRVNONTIANI systematis sunt praecepta. Num vero tam arcti fines omnia comprehendant, et quomodo tam simplici fundamento omnia artis nostrae incerta adhuc et inexplicata, explicari possint — haec sunt, quae in quaestionem vocare in hoc scripto propositum mihi est \*).

B 3

Vt

\* ) Omnino, si quis quaestionem illam moueret, num unico principio totius medicinae practicae sistema, tanquam fundamento, nisi possit, negando ei recte respondendum esse mihi videtur. Medicina omnesque eius partes doctrina est empirico-practica, cuius practica pars empirica fundatur. Iam vero cum fieri non possit, ut a priori demonstratur, quibus finibus includatur campus *ἐπαρειγίας*, nec utrum totus perlustratus a nobis sit, nec ne *qua vna*

Vt semel putamus, attributum aliquod, quod viuis corporibus inesse videmus, pro causa primaria omnium phaenomenorum insidentium corporibus habendum esse; *facultas percipiendi omnino ea est, quae tali causae primariae aptissima videtur, vt quae sine dubio conditio vitae est sine qua non.* Haec facultas secundum descriptionem supra datam (p. 11. p. 13.) BRVNO-  
NIS incitabilitas est \*). Nec vere existere hanc  
facul-

re tale principium firmum, et ab omnibus pro vero habendum esse demonstrari potest) ex omnibus iis, quae nos experientia iam docuit, nullum capere possumus fructum, nisi hunc, vt legem nobis normamque inde iniungamus, quam in perscrutandis et inuestigandis nouis phaenomenis et in describendo dispersa illa in classes sequamur. Id quod totius doctrinae conspectum multo reddit faciliorem.

\*). *Vis naturae, τὸ Ζερμὸν, calidum innatum, τὸ ἐνογκων Hipp., irritabilitas, sensibilitas, Lebenskraft, Nervengeist etc. vocabula sunt, quibus alii docti viri vitam ipsam, alii praecipua eius attributa designare conati sunt, multorumque nota sunt tentamina, quibus et singulas has notiones, et plures simul pro fundamentis medicinae ponendis esse cœ fuerunt. Quae tentamina curatius explorare et aestimare non est huius loci, nec temporis. Facile tamen adparet, omnibus his vocabulis indieari aliquid, cuius existentia aequa certa, ac natura obscura et incerta est. Hinc illae lacrymæ! Illud, quod omnibus his vocibus commune est, BRVNO incitabilitate sua exprimere voluit. Itaque nihil quidem noui inuenit, quod non sit dictum prius, sed nec ipse haec de re gloriatur. Saepissime casui fortuito et fortu,*

facultatem percipiendi (sensu generali) dubitari vlo modo potest, immo concedi et affirmari magni eam esse momenti in omnibus vitae actionibus. Num vero principium illud, quod profert BRVNO validis argumentis sit firmatum, num simplex sit, num singulis placitis, quae in toto systemate exponuntur recte satisfaciat, — haec res magnam habet dubitationem.

Auctor incitabilitatem describens (§. 10.) *in omnibus vitae statibus*, inquit, *homo et reliquae animantes a mortuis se* (*from themselves in their dead state*) *vel alia quavis inanimi materia, hac sola proprietate* (incitabilitate\*) §. 14.).

B 4

diffe-

fortunae hoc adscribendum est, et minima meriti pars inventori debetur scilicet. Quod si vero siue vetera, siue noua, melius perspexisse eum, magis illustrasse, et ita elaborasse non negandum est, ut scientia inde maiorem perciperet fructum (siue id fecerit sobrius, siue ebrius, perinde eff), laude sua perquam dignus est, et de doctrina cui operam dedit, bene promeritus. Quod verum et rectum est, verum manet, siue id dixerit vir bene, siue male moratus. Quid hoc ad doctrinam? De systematis vi-  
tiis disputamus, non hominis.

\* Si auctor *incitabilitate* illud modo in *vniuersum* designat, quo omnia viua a mortuis differunt, ipsa designatur *vita*. Attamen huic contrarium est quod in 8o° incitabilitatis mors est; nam rei ali cuius auctio non potest efficere, ut ea omnino non existat. Videtur autem *hic incitabilitati vitam ipsam praeponere* auctor, et incitabilitatem pro attributo

differunt, quod externis rebus et quibusdam  
sui propriis actionibus (functions) sic adsi-  
ci possunt, vt etc. Ad has actiones pertinet quo-  
que cerebri in cogitandi, et affectus ciendi vis.  
(the energy of the brain in thinking, etc. exciting  
passion and emotion) (§. 12.).

Quod si cerebrum secundum eam rationem,  
quam in omnibus ceteris corporis partibus se-  
quitur Auctor, physioglice contemplamur, ni-  
hil aliud distinguimus in eo, nisi 1) Solidum  
simplex 2) Solidum incitabilitate praeditum,  
qua solidum viuum fit, et, admotis stimulis, vi-  
uum se praebet. Nihil ergo aliud est, quam ce-  
terum totum corpus, nullaque alia re a singulis  
eius partibus, nisi gradu incitabilitatis differre  
potest. Iam vero simulac ei vis cogitandi et ad-  
fectus ciendi datur, tanquam propria vis, quae  
organica eius fundatur oeconomia, cuius alii  
organo, cui functiones assignantur, nullo alio or-  
gano compensandae, similis secundum analo-  
giam

tributo tantum habere, quod unicum in viuo corpore cer-  
nitur. Quod tamen ipsius placitis contrarium esse his,  
quae proxime sequuntur, demonstrabitur. In toto autem  
reliquo libro Incitabilitatem tantum pro facultate certis sub  
conditionibus viuendi habere videtur, vt ex §. 13. et ta-  
bulis etc dilucide adparet. Hunc itaque et ego sensum  
infra huic tribuo verbo, qua re cautum est, ne qua au-  
tori fiat iniuria.

giam tribui potest vis, quarum omnium natura et ratio, qua inter se coniunctae sint, plane nobis ignota esset, et quae tam arctis finibus, qui totum complectuntur sistema, vix includi possint. Hae vires omnes minime ab incitabilitate penderent, et tamen necessariae vitae *proprietates* essent, *incitabilitas* ergo non *vnica* et *sola* esset proprietas, qua homines et reliquae animantes ab omnibus inanimis corporibus differrent. Actor hanc argumentationem praesagiisse videtur. In anglica enim versione haec addit (§. 12.) \*).

*with respect to their origin, they (muscular contraction, sense and the energy of the brain etc.) arise both from the other (num agents?) and themselves.*

Quis, quaeso, his verbis ineft sensus?

Eandem cerebro insitam *propriam vim rursum* tamen negare videtur; dum §. 138.

*Cogitatio*, inquit, *cerebrum*, cui *recta admovetur* — *agens*.

Hoc loco itaque *cogitatio* quis dicitur, quae in *cerebrum agit*, non *qua cerebrum agit in in-*

citabilitatem. — Quae omnia quomodo inter se cohaereant et consentiant, equidem non video. Peculiarem hic habemus vim, cuius sedem et attributa obscura nobis et dubia relinquit auctor. Sed qualiscunque demum sit, siue sedes eius sit in cerebro, eaque non, nisi *cum* cerebro existat, et in hoc, tanquam in organum suum reagat — siue sit aliquid, quod extra corpus existat; tamen eius ratio eadem esse debet, quae omnium ceterarum potestatum incitantium, propterea quod modus eius agendi idem sit necesse est, ac ceterarum. Ex quo sequitur, necesse esse, ut functiones, quae a cerebro pendent, eadem praedito incitabilitate, qua ceterae partes omnes, eodem modo pro rata laedantur, quo totum corpus, secundum §. 48. i. angl. versionis

*Wherever they (exciting powers) are applied, every one immediately affects the whole Excitability.*

Quod quamvis ex eius principiis sequatur, minime tamen verum esse, sequentes demonstrabunt quaestiones, quibus nihil responderi potest, quod eius principiis conueniat. — Ceterum eorum numerum facile adaugere possit. —

Quomodo

Quomodo sit, vt in communibus, et in primis asthenicis morbis, in quibus omnes laeduntur functiones, tam parum, saepe omnino non laedatur facultas cogitandi, visus, auditus etc.?

Cur mens, visus et auditus etc. saepissime ad ultimum usque fere mortis momentum illaeſt manent?

Qui fit, vt inter multa illa remedia, quae reliquias corporis partes tam vehementer afficiunt, tam pauca cerebrum eiusque functiones afficiant?

Cur tam pauca existunt inflammationis cerebri exempla in iis qui philosophiae et literis operam dant?

Vt verbo rem conficiam, cur facultas cogitandi et omnino cerebri status nulla prorsus relatione coniunctus est cum ceterarum partium corporis valetudine?

Ad has quaestiones nihil omnino, quod BRVNonis principiis conueniat responderi potest. Nam si quis diceret, „omnia haec tamen una incitabilitate, tanquam fundamento, gaudent” — altera tamen remanet quaestio inexplicata:

„Quae

„Quae causa est, cur in cerebro omnia haec *alio profus modo* se habeant, quam in reliquo corpore”?

Ex hac disquisitione, in primis eius priori parte, apparet, auctorem nostrum minime *unicum* principium ponere, quod viuum corpus ab omnimortuo distinguat, sed vel manifesto aliud quid, quod adeo extra corpus existit, in auxilium vocare, (§. 14. 138.), vel silentio concedere, fieri posse, immo verisimile esse, et alias multas existere vitae proprietates. Cum tamen in toto suo opere solam ipse agnoscat incitabilitatem, satis hac de re dictum sit.

Maioris momenti est illa disceptatio, quatenus in applicanda incitabilitate ad singula systematis placita primam eius descriptionem sequatur, cum ea consentiat, et consentire possit. Nam ex hac re, certe maxima e parte, perspicuum fiet, num pro veris habenda sint, nec ne, quae de incitantibus potestatibus et de incitatione promiscue ac indifferenter profert.

*In incitabilitate nulla alia mutatio cogitari potest, nisi adiutorio et diminutio.* Hoc euuntatum, variis licet expressum verbis, quauis fere legitur pagina, hoc demonstrant tabulae, quibus vim

—8—  
 vim remediorum, et morbi modum et gradum definit quae quidem falsae et alienae essent, simulae incitabilitati aliam tribueret proprietatem. Et tamen alias omnino admittere videtur, quum loquitur (§. 21. E.) de

*a certain change produced in the system, by which the sum total of stimuli is rendered less fit to act upon the Excitability, (aliqua intus mutatio, qua minus aduersus incitabilitatem efficax stimulorum summa redditur, vsu ue- nit).*

Nam, quum stimuli, per nullam aliam rem, nisi incitabilitatem, quae in corpore est, in corpus agere possunt, sequitur, ut, simulac eorum effectus mutatione quadam corporis impediatur, ipsa quoque incitabilitas aliquam subierit mutationem, quae alia sit necesse est, quam quae a τῷ plus et minus pendet. Haec enim non, nisi simulis ipsis producitur. Porro §. 21. ζ.

*In the same manner, inquit, is the operation of emetics and purgatives to be explained — which depends partly on an agreeable relation that the exciting power bears to the excitability, or on an agreeable sensation. That it is sometimes the relation, sometimes the sensa- tion,*

tion, that acts in this case, is evident from the hurtful effect of things most grateful to the sense, as in the examples of the legumina; — and by the salutary effect of disagreeable things, as the several forms and preparations of opium. — (Simili modo supra et infra purgantium opus — quae partim, in grata incitabilitati adsinitate gratoue sensu, consistit — explicabile est. Interdum adsinitatem, interdum sensum, agere, inde patet, quod vel gratissima sensui, vt legumina nocent, in grata, sicuti opii formae, iuuant).

Quid significat effectus, qui *grata adfinitate* (*relation*), effectus, qui *grato sensu* (*sensation*) producitur? Nihil sane, quod in sola τε + vel — mutatione consistat. Et qui fieri potest, vt, cum secunda valetudo, (i. e. iustus incitationis gradus) cum suavi quoque sensu coniuncta esse debet, (quod nec Auctor, nec alius quispiam negabit) qui fieri potest, inquam, vt res, quae nocivae sunt, i. e. quae iustum incitationis gradum perturbant, gratiore sensui sint; quam salutares, et vice versa, vt dicit. Ipsa nota g. ad hunc locum auctori repugnat. Loquitur in ea de *suitableness in the mixture* (*aptitudine mixturae*) stimulorum, eorumque *discordant Combination*. Tacendo ergo tribuit in-  
cita-

citabilitati nouam proprietatem, qua *in modo* affici potest. Idem demonstrat §. 255. quo loco pediluuum nullam aliam ob causam, nisi ob voluptatem et suauitatem quam parit, commendat.

Ipse ergo sibi minime constat, et quamuis infra sibi constare videatur, attamen id silen-  
tio modo consequitur, quo maxima cum dili-  
gentia hanc proprietatem praeterit. Quam ve-  
ro sit necessarium, eam incitabilitati tribuere,  
magis quoque apparebit. Opio, qui maximus  
Auctoris est stimulus, in disquisitionem vocato.

Supremus incitabilitatis gradus (80°), defi-  
ciente stimulus, et exhausta prorsus incitabili-  
tas nimio stimulus, mortem parit. Medius et  
stimuli, et incitabilitatis gradus secunda valetu-  
do est, contra, quaevis declinatio morbus. Om-  
nes ergo morbos medendi ars in hoc solum con-  
sistit, ut idoneo stimulus incitabilitas in medium  
reducatur gradum. Iam si vnum mihi notum  
est remedium, (*stimulus*) quo p[re] reliquis om-  
nibus abundantem incitabilitatem (qua omnes  
(nascuntur morbi asthenici ob directam debili-  
tatem) ad medium usque gradum deminuere pos-  
sum, quid opus est pluribus, quum omnibus  
his remediis semper idem efficiendum sit, eaque

eato-

eatenus modo idem efficere possint, quatenus simplex iis est communis proprietas, qua in incitabilitatem, tanquam simplex principium, agunt? Atqui si reuera et incitabilitas, et id, quod in eam agit, simplex est, quoduis etiam remedium, quod hac proprietate praeditum est, vim suam exserat necesse est, simulac idonea eius quantitas incitabilitate admonetur. Iam, quum Opium omnium praestantissimum et efficacissimum sit remediorum (§. 244.) sequitur, ut nullum aliud aliquid efficere possit, hoc effectum denegante \*). Contrarium tamen nonnunquam evenire, ipse confitetur BRVNO, et variationem stimulorum suadet. Quod quum sit necessarium, appareat, hic virium et modorum operandi rationem vnicce habendam esse, quos omnino excludit eius theoria, ideoque eam hanc ob causam iusto esse angustiorem perspicuum est.

Quam recte ergo fecisset auctor, duas tantummodo morborum formas, duo debilitatis genera, duo mortis genera (§. 689. et al.) et unum simplicem operandi modum potestatum incitantium ponens, si incitabilitas ea esset, quam haberi vult tam manca et imperfecta nobis haec omnia

\*) §. 51. ipse auctor dicit; *After Opium fails, a stimulus still higher, and more diffusible, if there be any such, will have the same effect.*

omnia nunc videantur necesse est, postquam incitabilitatem non una solum qualitate praeditam, et ea, quae profert de opio, quod praeципuum eius est remedium, suae ipsius contradicere theoriae vidimus. Sequitur inde, plures existere posse morborum formas, et modum, quo potestates incitantes vim suam exferant, varium esse; — tabularem illam diuisionem, quae primo adspectu tam simplex et utilis esse videtur, et mancam esse, et inutilem atque vanam, ut taceam, inutilem eam, quantum vera esset, ideo tamen manere, quia geometrica nobis deest scala, qua corporis statum et singulorum remedium vim cum tabulis illis comparemus \*).

Quae tabulae, cum magni sint momenti, quia totius systematis breuem quasi descriptionem continent, dignae adeo sunt, quae accuratius  
in-

\* Ad quam manifestam empiricen coactus saepe fit auctor, deficiente huc scalas, apparet e § 406. ubi de cynanches stridulæ cura loquitur:

Huius morbi, quae prodierunt, curationes, sic ab errore tutis, considera. Si, his aut *facto tibi periculo (in any trial, thou shall make)* vel sanguinis detractionem et alii purgationem, vel, quae antispasmodica vulgo dicuntur, i. e. stimulantia, respondere compereris; in illo causa asthenicum, in hoc asthenicum morbum esse, pro certo ficias.

inspiciantur. Quod magnam tamen habet difficultatem, propterea; quod Auctor nusquam clare et perspicue nobis relationem indicat, qua *incitatio* cum incitabilitate et potestatibus incitantibus coniuncta sit vagoque verbi huius usu mox se ipsum non intelligere videtur, mox lectori dubitationem mouet, num auctorem recte intellexerit. Brevis plurium collatio locorum, quibus de *incitatione*<sup>\*)</sup> loquitur, hoc ipsum illustrabit, nobisque occasionem dabit, quaedam ab hoc loco non aliena de eius morborum divisione dicendi.

*§. 22. The whole phenomena, inquit, of life, every degree of health and disease, consists in stimulus, and are owing to no other cause. (In stimulo omnia vitae, omnis siue secunda, siue aduersa valetudo, nec inulla alia re consistunt).*

*Rectius dixisset, the whole phenomena of life etc. consists in Excitement, depending for its Cause upon the Operation of stimuli upon the Excitability. (In incitatione, quae pendet ab ope-*

*\*) Definitionem incitationis inuenimus §. 16. et aliis locis plurimis. Vagus et incertus huius verbi usus, in philosophico opere maxima saltem est negligentia, eaque haud excusabilis.*

operatione stimulorum, in excitabilitatem agentium, omnia vitae — consistunt).

Nam, quum nec excitabilitas, nec stimuli per se vitam constituent (§. 39. N. e.) et vita non, nisi ex eo, quod excitabilitas et stimuli producunt, i. e. incitatione (§. 16.) ita procreatur, ut a nobis agnosci possit, dici nullo modo potest, vitam in *stimulo* consistere. Hic enim eam non, nisi, data excitabilitate, gignit.

§. 23. *Excitement, the effect of the exciting powers, the true Cause of life.* (Potestatum effectus, incitatio, continens vitam causa).

Hic *Incitatio vitae causa* dicitur, priori §. *stimulus vitae causa* dicebatur. Causam igitur et effectum male confundit.

§. 24. *This mutual relation obtains betwixt excitability and excitement, that the more weakly the powers have acted, or the less the stimulus has been, the more abundant the excitability becomes; the more powerful the stimulus of the agents has been, the excitability becomes the more exhausted.* (Haec excitabilitatis et incitationis ratio est; ut, quo potestates imbecillius egerint, seu stimulus minor

fuerit, eo magis incitabilitas abundet; quo validius stimulus incubuerit, eo illa exhaustior subsit).

Hic manifeste *Incitatio* pro *stimulo* seu *potestate incitante* ponitur. Nam si incitationi veram et propriam notionem tribuimus, nihil de eo dixit Auctor, quod dicturum se promiserat. Caeterum, in anglica versione reliqua huius §i, et initium sequentis delevit.

Apparet ergo, Auctorem verbo: *incitatio*, praeter illam notionem, quae secundum §. 16. sola est vera, aliam quoque tribuere. Vel enim hoc verbo indicat tantummodo actum incitandi, vel adeo ipsos stimulos. — Hac verbi ambiguitate non potest non fieri, ut dubius et vagus existat sensus, quoties hoc verbo vtitur, praeferenti cum saepe difficile sit, singulis locis inuenire eam notionem, quam auctor exprimere voluerit. Exemplo sit §. 25.

*A mean stimulus, affecting also a mean or half consumed excitability produces the highest excitement. And the excitement becomes less and less, in proportion as either the stimulus is applied in a higher degree, or the excitability more accumulated.*

(*Medius*

(Medius stimulus medium quoque, seu semi consumtam incitabilitatem adficiens, summam parit incitationem. Quae tanto minor vsque subnascitur, quanto vel maior ille, vel haec cumulatior iusto sit.

Hic *incitatio* non potest significare *actum incitandi*. Dicit enim *parit incitationem*. Haud magis verae verbi notioni locus est. Tunc enim omnes euanscerent morbi sthenici, qui nulla alia re, nisi immoda nituntur incitatione, maiore, quam qui bonae valetudini aptus est, ad moto stimulus, minime vero *semi consumta incitabilitate* \*).

Itaque operam Iudimus, dum claram et definitam morborum eius formarum et debilitatis generum notionem tenere studemus. Prout enim libet in verbis varians, quae maximi sunt momenti, suam ipsius obscurat sententiam, nec ullam nobis demonstrat rationem, qua, data incitabilitate et potestatibus incitantibus, factum sine summa incitationis constituere possimus. Tabulae illae rem minime illustrant. In secunda enim, numerorum loco, quibus *incitationis* gradus indicetur, potestatis incitantis modo gradus, in

C 3

priori

\* ) §. 225. in Not. quadam sthenicam diathesin diferto dicit  
— *wasted Excitability.*

priori tabula iam expressos, inuenimus; et in priori tabula incitabilitatis gradus, cum gradibus potestatis incitantis collatos, in nota denique supra laudata denuo confusas verborum notiones.

*Thus, inquit, when the Excitement is at 79, constituting only one degré of life, take off one degree of exciting power, and two degrees of Excitability will arise.*

Jam primum *incitatio pro potestate incitante* ponitur, deinde *vita et incitabilitas* promiscue adhibetur. Id quod hoc loco forsan fieri potest, vniuerse vero minime \*). Alioquin 80° incitabilitatis (certa mors, vid. Tab. p. 14) summa et validissima essent vita; — alioquin dicendum nobis esset, sthenicos morbos, quatenus eos *nimirum vitam (excess of life)* dicit (§. 110.), incitabilitate ad 80° aucta, summum gradum assequi, ubi, tamen mors est, ob directam debilitatem, et rursus, si sthenica diathesis esset, *wasted excitability* (incitabilitas exhausta) ut dicit §. 223. Not. I. sequeretur, morbos sthenicos, aucta deum potestate incitante ad 80<sup>mum</sup>. vsque gradum (i. e. diminuta incitabilitate vsque ad 0°) sumum

\*) Vide notam p. 27.

—8—  
 mum assequi gradum. Hic vero rursus mors est, ob indirectam debilitatem. Quod quamvis videatur per absurdum, recta tamen nititur ratiocinatione, simulac stricte verborum, quibus vtitur, proprium sensum sequimur, et incitabilitatis notionem, quippe quae non, nisi vel augeri, vel diminui potest. Multae tales colligi facile possunt argumentationes, quibus omnibus obseruatis logicae legibus, aliquid efficitur, ceteris eius placitis et toti systemati contrarium.

Cacterum vagum hunc primiorum verborum usum, non solum morborum genera, sed etiam modum medendi obscurare et perturbare, facile intelligitur. Si quis laborem subiret, et morborum formas, et totam medendi modi descriptionem accurate perlustrandi, ubiuis ei huius erroris obuiam fierent vestigia. Non, nisi maxima cum intentione viam nobis aperire possumus, qua perspicuum fiat, quae singulis locis Auctoris sit sententia, raro autem omnia, quae suadet vel dicit, cum principiis systematis consentiunt. Non itaque alienum erit, quedam de modo medenda indirectae debilitatis adferre.

*Indirecta* nempe *debilitas* ab exhausta incitabilitate nascitur, nimio simulo. (ab 70° vsque

ad 80°). Curae loco adhibere iubemur stimulum, qui paullo minor eo est, qui eam produxerat. Iam si indirectam debilitatem putamus esse incitabilitatem stimulo a 70° — 80° adhuc expositam, qui stimulum stimulo addere nobis liceat? Numquam enim stimulus aliis alium remouere potest; si ipsius BRVNONIS notionem modi, quo stimuli vim suam in corpus exferunt, sequimur. Stimulus itaque maior 10° additus, incitabilitatem totam exhaudiret, vita ergo hominem priuaret. Quodsi vero hanc indirectam debilitatem putamus esse aliquid, quod nino efficitur stimulo, qui tamen vim suam exferere iam deficit, necesse esset, ut incitabilitas sua sponte cresceret, (quam vim, nempe sua sponte crescere, inesse incitabilitati saepe iam dictum est) — ad eum certe usque gradum, quem relictii minores stimuli, admissuri essent, i. e. vel ad sthenicum morbum, sthenicam diathesin, secundam valetudinem vel directam debilitatem, pro stimulorum relictorum magnitudine. — Singulare aliquid adhuc obseruare licet in indirecta debilitate, arctum nempe spatium illud, quo eam includit auctor. *Directa* incipit a 40° (v. §. 47. Not. g. et §. 82. Not. b. etc. etc.) — *indirecta* vero demum a 70°. Credibile erat, eam, siquidem non, nisi contraria, quam directa debilitas, causa efficitur, eodem quoque spatio,

tio, quo haec, a secunda valetudine distare. Cu-  
ius diuersitatis causa probabiliter in diuisione  
morborum asthenicorum ob debilitatem direc-  
tam ponenda est. Nam hos a debilitate nasci  
dicit, debilitas itaque iam ad praedispositionem  
pertinere debet, hincque ab 40° incipere \*).  
Quodsi vero indirecta debilitas nimio stimulo  
producitur, cur non et haec a 40° ab altera sca-  
lae parte incipit? Tunc vero nullus asthenicis  
morbis relinquebatur locus.

Quae res ad eam nos dicit systematis par-  
tem, quae maximi est momenti, nempe ad di-  
uersitatem utriusque morborum formae, et eius  
causam. Haec diuersitas consistit in nimia in-  
citatione, quae asthenicos, in deficiente incitatio-  
ne, quae asthenicos gignit morbos. *Nimia inci-  
tatio existit*, potestate incitante 40° superante us-  
que ad 70° et incitabilitate diminuta a 40° usque  
ad 10°. *Deficiens vero incitatio existit*. 1) Sti-  
mulo 70° superante, indeque deficiente incitabi-  
litate; 2) Stimulo minore, quam 40°. Hinc ap-  
paret, ad producendam maiorem incitationem,  
non solum maiore opus esse stimulo, sed etiam  
certa incitabilitatis quantitate, stimulo opposita.  
His si addimus, eum incitabilitati potestatem

\* ) Vid. Tabul. secundam pag. 16.

aliquam tribuere, sua sponte crescendi, diminuta potestate incitante (de qua tamen non, nisi obiter loquitur) coniectura nobis verisimillima obtruditur haec, *incitabilitatem BRVNNONIS facultate reagendi praeditam esse*, quamuis eam caute silentio praetereat. Nam ut semel eam admittit, in multis rebus sibi ipse contradicere cogitur, et praesertim multa, quae adhuc de remediis tradita sunt, pro veris habere, quae tamen nullo modo eius systemati accommodari possunt. Nihilominus tamen saepissime in legendō eius opere hanc *reactionem* pro attributo incitabilitatis habere cogimur, quia sine hac multa explicari nullo modo possunt. Ipsa exemplo sit *incitatio*.

§. 701. angl. vers. *incitabilitatem vim quan-*  
*dam esse dicit naturae*; quae salutem moli-  
tur \*), statim tamen addit, ne scilicet in alio-  
rum transire videatur systemata, but this is  
not the celebrated *vis medicatrix natu-*  
*rae of physicians*.

Quod ut demonstret (v. rel. §. et Not. f.)  
hoc quidem fidenter narrat, fieri posse, ut ma-  
ximae

\* ) *An energy of nature, that tends to the restoration of the healthy State.*

ximae laesiones, nullis admotis remediis, pessimum habeant exitum, sed eodem modo etiam demonstrari possit, vim illam naturae et vim medicatricem vnam eandemque esse, quia plurima exstant exempla, periculosisimas laesiones sine villo artis auxilio in statum sanum rediisse,

Vti ergo maximum BRVNONIS systematis vi-  
tium in eo consistere vidimus quod principia,  
quibus pro fundamentis caeterorum omnium  
vtitur, ita ponat arcta et angusta, vt ne ea qui-  
dem, quae vere huc pertinent, recte et tuto iis  
niti possint; — ita non minus in eo peccat,  
quod multas generales naturae leges vel excludat,  
vel nimis coercitas admittat. Hinc nemo nega-  
bit, BRVNONIS sistema ideo mancum esse, quod  
in explicando morborum ortu nullam processu-  
um chemicorum, qui in corpore nostro sine du-  
bio fiunt, facit mentionem, eorumque prorsus  
nullam habet rationem, cum de varia remedio-  
rum vi loquitur. Quod tamen necessarium esse,  
et existere processus chemicos in corpore huma-  
no, remediaque chemice agentia saepe utilissima  
esse, ex ipsius Auctoris verbis demonstrari  
potest.

De contagio in vniuerso loquens §. 568. *fermen-*  
*tescit*, inquit, sine villa firmorum aut humo-  
rum

rum mutatione manifesta \*), omnia vasa res-  
plet, dein paulatim foraminibus excernitur.

et variolam grauem describens §. 375.

haec omnia, (phenomena) inquit, fermenta-  
tionis lege — reguntur.

Itaque fermentationem in corpore humano  
fieri dilerte dicit. Iam, longa experientia edo-  
cti scimus, et pro comperto habere cogimur, in  
variolis contagium (sive per inoculationem, sive  
alio modo in corpus inductum sit) totum corpus  
penetrare, et in externis corporis partibus ades-  
se. In visceribus variolae inventae sunt, et per  
vrinam materia variolosa decessit. Fermentatio-  
ni ergo in quauis corporis parte locus est. Ita-  
que si corporis constitutio vnum admittit pro-  
cessum chemicum, cur non plures? Si materia  
variolosa chemice procreata omnia complet va-  
sa, cur non et alia agentia ea penetrare dicam  
us \*\*)? Et, si corporis fluida, tanquam flui-  
da

\*) Hoc verbum deest in verl. angl. — vbi modo legitur;  
*without any change of the solids or fluids.*

\*\*) Quomodo auctor eodem tempore scribere potuerit, ma-  
teriam variolosam omnia replere vasa, et tamen fluida  
non mutare, equidem affequi non possum. Non operae  
pretium est, hac de re aliquid dicere.

da composita, chemicis legibus subiecta sunt, cur non in ea chemice agi posse concedamus, nisi immediate in remotioribus vasis, mediate tamen? Et, si fieri potest, ut inflammations acidis procreentur (quod verum esse omnino concedit §. 714. — de renum aliorumque viscerum inclusorum inflammatione hanc ob causam dubitans, quod acida eo penetrare non possint); — nonne gastritis ab acidis\*) exoriri potest? Nonne ea praecaueri optime potest remediis, quae acida chemice mutant innoxiaque reddunt? Num denique ipse negare potest, existere inflammations aliquosque morbos internalium partium, acidis vel omnino nimis acribus humoribus procreat, ut semel ipsius auctoris verba nos docuerunt, humores corporis humani chemicam suam naturam vario modo mutare posse. — Optimo itaque iure hoc pro certo ponere nobis licet, chemicos processus vbiuis in corpore fieri posse, saepe eos morborum esse causas, et saepe nobis non modo licitum esse, chemicis uti remediis, sed etiam vnice ea relinquiri, quibus sanitas corporis restituatur.

### Mecha-

\*) Minime vero a sola continui solutione (§. 704.) quam piscium spinas vel vitrum contusum gignere ait. Si per Cayennicum erosione gastritidem gignit, necesse est, ut idem faciant acida, quorum tamen nusquam mentionem facit.

Mechanicos existere impulsus sive stimulos concedit auctor. His enim divisio victus fundatur, quem vel directe, vel indirecte in incitabilitatem agere dicit (§. 127.). Sanguis quoque vasa *distendendo* stimulat, (§. 131. Not. m. et §. 132.) et quidem nulla alia re, nisi distensione. Quomodo vero sanguinem, sola distensione stimulantem, et opium in eandem redigere possit classem (quod facit omnino, cum dicit, omnium stimulorum eundem esse modum operandi), ejusdem non video.

Patet ergo ex iis, quae adhuc dicta sunt, auctorem plura admittere principia, *vivum* designantia, illud vero principium, quod vnum ipse admittere videri vult, simplex non esse, morborum diuisionem, quae simplici illo principio fundatur, nimis arctam et falsam esse, nec vnicum tantum existere modum, quo *remedia* in corpus agant, nec ipsa remedia tam simplicia esse, ut ea haberi vult auctor, — in praecipuis systematis partibus non modo experientiae, sed etiam sibi ipsi contradicere auctorem, rerum maxime necessiarum, et maximi in tota doctrina momenti nullam etum habuisse rationem. — Itaque, ut paucis dicam, quae sentio, neque *Brunonis* Elementa, uti nunc ea habemus, pro systemate habenda esse, neque prin-

principio eius ullum, aliud totius scientiae sistema fundari posse.

Quae ut rite demonstrentur, huius scripti finis erat. Singulas systematis partes impugnare, et temporis, et experientiae inopia me impedit. Nosologi itaque et longiori edocti experientia accuratius inquirant in angustiorem morborum diuisionem, in singula remedia, eorumque uim, et gradus, in morbos locales, et contagia quae duae res ipsi auctori negotia facessere videntur, §. vlt. Quae omnia diligentiore omnino digna sunt disquisitione, nec minus forsan propter utilia multa, quam propter absurdia, quae in hoc opere contenta sunt. Quamuis enim multa in eo occurrent absonta et inepta, attamen et in his sagacitatem et acutum viri ingenium facile agnosces. Meum erat consilium, vitiosa systematis *Brunonis* et vituperatione digna deligere, satis itaque habeo fateri, opus ejus non omnibus destitutum esse virtutibus.

Iam sequitur, sicuti in prolegomenis promiseram,

*Singulorum quorundam Brunonis placitorum disquisitio,*

quae

quae partim ea, quae adhuc dicta sunt; magis illustrabit, partim magna illa, quibus practica operis pars laborat, vitia deteget.

## I.

Horror et frigoris sensus, notum multorum morborum symptoma est. Auctor de eo dicit (§. 356.) ubi de sphenicis loquitur morbis.

Horror et frigoris sensus a siccitate cutis \*) causa pendent.

(*Shivering and sense of cold depend for their Cause upon the Dryness of the skin.*)

Quod, quomodo ex auctoris theoria explicari potest? Quod num omnino verum sit, alia est quaestio,

Non, nisi, data incitabilitate, vnaquaque corporis pars, itaque externae quoque, affici possunt. In multis morbis vehemens sentit frigus aegrotus; quod tamen nunquam interne, raro extra corpus adeat, et manet hic sensus, tem-

\*) Minime arti convenienter auctor verbo, *cutis*, vtitur, epidermidem designare vult. Nam si *cutis* secca est, nullus sane existere potest sensus. Caeterum h. l. haec verborum permutatio nullius est momenti, quia non epidermide, sed papillis nervis *cutis* externas res sentimus.

temperatura etiam mutata. — Incitabilitas secundum *Brunonem* non, nisi augeri vel diminui potest, vel omnino non adeste. Si omnino non adest, nulli quoque locus est sensus: Sin adest, vel aucta, vel diminuta, nullo modo tamen fieri potest, ut quispiam contrarium eius, quod vere est, sentiat. Nouum hoc incitabilitatis esset attributum, toti eius theoriae contrarium. Nec vero hic horror et frigoris sensus siccitate cutis digni potest; nam haec ipsa ab uniuerso corporis statu pendet, et maximus calor cum ea coniunctus esse potest, vti nos experientia docet, et ipse (§. 402. 403) dicit auctor.

— §. 340.

Impedita perspiratio caloris magni causa est, genitum intus per cutem abscedere prohibens.

In latina editione fusius, se hoc explicatum promittit, sed in anglica vers. ipse hoc promissum deleuit.

## II.

Quicunque laborem subire non veretur, omnia ea, quae *Bruno* de inflammatione dicit, legendi, et inter se comparandi, — hanc eius systematis partem omnium fere esse maxime perturbatam videbit. Quid *inflammatio* in eius

D  
opere

opere vere ac distincte significet, et quomodo eam definiat, accurate dici vix potest. Quatuor eius genera quidem distinguit, duas inflammations communes, sthenicas et asthenicas, et duas locales, sthenicas et asthenicas (§. 206.). Quod ad asthenicam inflammationem attinet, manifesto eum sibi contradicere, negari nullo modo potest, quum primum dicit (§. 205.)

*the inflammation is constituted by a lesser excitement in a part than in any other equal part. (inflammationem minor in aliqua, quam pari alio incitatio facit.).*

deinde (§. 203.) *the Cause of general asthenic inflammation is also abundance of blood in the inflamed vessels, producing the same effect (i.e. encrease of excitement) in the inflamed portion as in the sthenic inflammation.* (§. 207). (*Inflammationis communis asthenicae causa est sanguinis quoque in inflammatis vasculis copia, similes ac in phlogistica (sthenica) effetus trahens.*)

### III.

*Inflammatio cerebri auctori negotia facerit. Negat enim, partis internae existere inflammationem in phlegmasiis (§. 113.) Pernegat ita.*

itaque in phrenitide \*) cerebrum inflammatum esse, quoties fere hoc verbo utitur (§. 372, 343. Not. O. 563. etc.). Ex ipsis tamen eius verbis demonstrari potest, fieri omnino posse, ut adsit cerebri inflammatio, immo nonnunquam eam sine dubio adesse.

Ad producendam inflammationem in parte aliqua corporis valet in primis magnus calor. (§. 168). Calor vero producitur humidorum in vasis motu, quorum si magna adest copia, irritationem indeque inflammationem gignit (§. 253. 207, 208.) pathognomonicum eius signum dolor est (§. 332. N. g.)

Omnia haec in phrenitide adesse ipse dicit auctor, (§. 363.) eamque phlegmasiam esse ipse fatetur, et tamen cerebri existere inflammationem his verbis iterum negat:

ad quem (dolorem) creandum non necessaria inflammatione est.

Quodsi vero hic omnes concurrunt causae, quae alias inflammationem creant, cur non et

D 2

hic

\*) Quid sit *phrenitis*, et num cerebri inflammatio Cephalitis dicenda sit nec ne quaestio est nosologica, sed nullius hoc loco momenti.

hic eundem producant effectum? Et si praeter has causas pathognomonicum quoque inflammationis adeat signum, qui dubitare vel paululum nobis liceat, reuera eam adesse? Si itaque ex ipsius auctoris verbis facile demonstrari potest existere cerebri inflammations, iam hac de causa tota eius theoria, qua non, nisi externas admittit inflammations, illoco corruit.

## IV.

§. 446. *Passions are notwithstanding such (fat) persons stimulant, a circumstance known to the generality of mankind, among whom it is an adage, that fat persons are commonly goodnatured etc. (Sic animi affectus nimis hic non stimulant. Quod etiam vulgo, pingues miti ingenio dicere solito, notum —).*

Abhorrere praeterea eos a labore, a cogitando dicit. Hoc omnibus satis est notum. Quomodo vero id cum iis conjungi possit, quae auctor de fthenica dicit diathesi, equidem nescio.

Obesitatem fthenicum morbum esse dicit; gignitur secundiore iusto valetudine, victu lauto, maximeque cibo, item quieto vitae genere. (§. 438). Duo illa prima per se obesitatem minime

pro-

producunt, nec nisi coniuncta cum quiete, quam antisthenicum remedium esse dicit (§. 285.) Quod forsan verum esse, et ex eius theoria deduci potest. — Verum si in hoc morbo vasa sanguifera ea pars sunt, quae maxime est incitata, (§. 445.) ergo maxime quoque irritabilis, (vt experientia ipsa confirmatur) qui demum fieri potest, vt affectus animi tam parum vasa sanguifera pinguium hominum afficiant, quae alias facillime affectibus concitantur? Sthenici morbi nimia gignuntur incitatione, (§. 46.), et tamen in pinguis nulla fere animadvertisit, nec producitur. In diathesi sthenica, *sensus omnes acutiores, ingenii acumen maius, sensibilitatis et affectuum vis cernuntur* (§. 151.). Nonne haec omnia taedio cogitandi; et apathiae ex aduerso contraria sunt?

## V.

(ad §. 512. 513.) *Scabies.*

Plurimi morbi communes, et ea *exanthes-*  
*mata*, quorum cura non, nisi ad totius corporis statum spectat, fere omnia duabus illis morborum formis adaptari possunt, et quidem non nunquam longe melius, quam ipse fecit *Bru-*  
*nio*. Sed quiuis facile videt, scabiem, cuius naturam specificam et modum medendi pro certis

et compertis habere longa nos suadet experientia, multas obiicere difficultates. *Bruno*, qui est astutus, ne verbum quidem de omni hac re profert, ne miasmatis quidem, quod in scabie adeat, mentionem ullam facit. Nobis vero pauca hac de re differere liceat. Si scabies communis est morbus asthenicus, qui sit, ut, data occasione, eos quoque inuadat, quorum corporis status maxime est asthenicus? Nam ob causam scabiosi saepe praeter hunc morbum aliis asthenicis laborant, e. g. Peripneumonia, variolis, mania, obesitate etc.? Si scabies morbus est communis, in qua vafa exhalantia *inprimis* laeduntur, cur non quodvis diaphoreticum praesidio vel auxilio est. Qui sit, ut non, nisi sulphur et pauca alia, quae usus et experientia probauit, remedia sanitatem restituant? Nonne omnia fere, quae optimo successu adhibentur, remedia, e. g. ptisanae, flores sulphuris cum nitro, externe cum Vitr. albo etc. debilitantia sunt, et morbi formae contraria, Aequum erat, *Brunonem* et hac de re quaedam, etiam si levissima, afferre, nobisque monstrare, quomodo quotidianus usus in tantum et tam subtilem nos inducat errorem. Caeterum immutatus quoque saepe edendi appetitus, bona digestio, et nutrictio, nequaquam asthenicae accommodari potest formae,

## VI.

(§. 604. angl. vers. 603. lat.) Asthma asthenia, hactenus medicis in comprehensibilis, est; ubi communibus astheniae signis additus spiritus difficilis, in certis temporis spatiis, saepe inaequalibus, nullo praeter solitum sputo accessiones comitante, repetens.

Eadem fere \*) hic, quae in podagra leniore profundunt obsuntque. Eodem modo prohibentur et tolluntur accessiones,

Haec sunt, quae de asthmate profert *Bruno*, nisi quod in Not. g. angl. vers. ad firmandum medendi modum, quem suadet, ad præfationem lectores deleget, in qua exemplum adolescentis proposuit, in sanitatem felicitur restituti. Multae tamen hic restant dubitationes, præsertim quoad podagram. E. g. Cur alter horum morborum, qui quoad essentiale, iidem sunt, semper respirationis organa, alter pedes inuadit? Debilitas localis in podagra certe huius rei causa esse non potest. Quamuis enim (vt dicit §. 391.) in extremis corporis partibus summam esse debilitatem ait (id quod argumen-

\*) Deest in vers. angl. *fere*.

tis idoneis nondum firmatum est) attamen in podagra, ut ipse adfirmat, canalis alimentarius maxime debilitatus est. Hinc (§. 602. angl. vers. §. 601. lat.)

*This Disease may be called the indigestion or dyspepsia of the luxurious; while Dyspepsia may be denominated the same disease, that is, the gout of persons under direct debility, as having every symptom of the gout, except the inflammation.*

Vnde haec diuersitas? Cur non omnes, quorum canalis alimentarius ad certum quendam usque gradum debilitatus est, podagra laborant? Cur immunes infantes, quorum morbi omnes fere asthenici sunt? (v. praef.) Cur non mulieres?

Quodsi vero horum morborum (asthma et podagra) hanc ob causam alium aliam quoque partem inuadere dicat, quod altera superiorem in scala gradum obtineat, cur non inferior morbus in superiorem mutatur, simulac in huius ascendit gradum? Hoc vero fieri potest, quum vterque morbus et ad sanitatem redire, et ad mortem usque peruenire, i. e. ad totam scalam, percurrere possit. Denique si vterque certum

com-

communis diathesis gradum poscit, quomodo  
ambo simul eodemque tempore vnum hominem  
inuadere possunt?

### VII.

§. 685. Not. I. auctor dicit, auctioni et di-  
minutioni incitabilitatis ad sanandum morbum,  
eodem opus esse tempore, quo quis hunc mörbo-  
sum statum contraxerit. Quomodo, amabo, vt di-  
cit §. 195. N. a. tabem et atrophiam paucis horis  
sanare potest?

### VIII.

Initio operis saepius BRUNO gloriatur, quam  
pulchre obseruationes clinicae ipsius theoriam  
suffulciant, et lectorem ad exempla delegat,  
quae infra se commemoraturum dicit. Paucata-  
men inueniuntur, sed tunc rursum nos sciendi  
habendique cupidos ad praecedentes relegat anim-  
aduersiones et illustrationes, quae vel nusquam  
extant vel et ipsae obseruationibus illis fundan-  
tur scilicet. Quiuis attentus lector hoc facile  
inueniet. Quam belle et praeclare exemplis  
opinionum commenta stabilitat, appareat e Not.  
r. ad §. 401.

*A child of mine was given over for death by his  
nurse. His mother gaue him some of the dif-*

*fusible stimulus. He slept two hours, and when he waked made signs, for he could not yet speak, to have a little pie, most of which he ate,*

*Medici obseruatio, hoc modo narrata, nullius sane est momenti. Matris et nutricis narratio!! Quaeritur, num reuera aegrotauerit infans; et si aegrotauit, num ob placentam (little pie illam mortuus sit, nec ne? De hoc enim ne verbum quidem profert. Et tamen hac narratione anili multas graues opiniones, quae in hac §° leguntur, probare conatur. Praeclare probat BRUNO, incertior sum, quam ante!*

*Harum disquisitionum numerus multis augeri potest sufficient tamen, quae in medium adduxi. Satis, vt puto, monstrabunt, quid de practica operis parte censendum, statuendum, iudicandum sit. Num omnino totum opus pro systemate, omnibus numeris absoluto, sive, vt ipse dicit §. 689. pro scientia haberi possit, — hac de re ipse sententiam ferat (§. 609. Not. f.):*

*I know a book, ait, filled with valuable ethic facts, but have not yet had time to consider, whether they all point to a general one, in which they all agree, and which*

which reflects proof and confirmation upon them; without which it would fall short of scientific exactness.


Viderint de BRUNONIS meritis alii me prudenter! Ego enim id mihi non sumo, vt noui systematis conditori me solum obſistere poſſe exſtimem, id vero mihi perſuaſſimum habeo, iſt hoc ſyſtema, etiamſi hoc nomine indignum, non tanti eſſe momenti, vt planum virorum docto-rum caecum ferat. Dies diem docebit. WEI-KARDUM, interpretem, thrasonica impudentia linguaeque rabie quoſuis aliter ſentientes, cum maxime artis professores, inuadentem, nec BRU-NONIS mentem ſatis affeſcutum eſſe, nec latine doctum; nec in principiis medicinae rationalis recte verſatum, e versione germanica et libello edito ſatis ſuperque perſpexi. Hoc probare plu-rimis exemplis facile eſt, ſed tantὶ poenitere non emo, cum omnem medicinam praeter BRUN-NIANAM more DIOGENIS cynici reiiciat. Ad ta-lem artis contemtorem commode applicari poſſe cenſeo, quae AUGUSTUS Caesar apud MACRO-BIUM GALBAE, cauſſae patrono, ſed in re ſua nimis diſerto et pertinaci reſpondit, mo-nere te poſſum, corrigere non poſſum. Forte idem,

idem WEIKARDO regerere liceat, quod LIN-  
NEUS, pugnam cum SIEGESBECKIO, duro et  
immiti aduersario, recusans,

*Aut vinco, aut vincor, semper tamen ma-  
culor!*

Nolo enim cum tali, tantoque systematis  
Brunoniani defensore rixari, qui ut gloriari li-  
beat alienis bonis, neque sua scientia contentus  
vitam agere voluit, more graculi superbia inani-  
tumentis BRUNONI bona sua sustulit, seque exor-  
nauit, quosque alios despiciens habens. De his  
quae sentiam, strictum et carptim dixisse sufficiat.

---



# TIFFEN® Color Control Patches



© The Tiffen Company, 2007

quod LIN-  
, duro et

tamen ma-

systematis  
gloriari li-  
contentus  
erbia inani  
seque exor-  
s. De his  
ffe sufficiat.